

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Pretium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96.

Sociis et Lectoribus

Commentarii nostri humanissimis.

Fasciculum alterum *Almae Romae* proelo committens, facere non possum quin grati animi mei sensum expromam ob labores qualescumque nostros tam benigne exceptos a vobis, qui finem nostri operis apprime intellectistis, non quidem venalem, sed altiora prorsus petentem. Quum enim latinitatis causam suscepimus, humanitatis omnis causam, eamque pessumdatam satis, assumere nobis visi sumus; in quam si deficiant vires, profecto voluntas deficiet nunquam. Atque id eo magis quod a Sanctissimo illo Patre res nobis commendata fuerit, qui peculiaribus alicuius commodis haudquaquam prospiciens, omnia ad communem omnium utilitatem integre perfecteque refert.

Quid? Nonne Ecclesiae praesertim debemus latinum sermonem inter totius orbis populos universale vinculum semper exstitisse? Quod si remittatur — idque summa cum attentione ii considerent, quorum maxime interesse debeat — cedat simul necesse est doctrinae, morum ipsiusque disciplinae communio atque participatio.

Grates igitur iterum iterumque sunt Pontifici illi Maximo, re vere ac nomine Pio, qui patrocinio suo latinitati vires novas addere studuit eamque firmiorem voluit; sintque pariter viris illis, sive ecclesiasticis sive laicis, qui tanto operi adiungi se voluerunt. Ipsi dent nobis veniam si, eorum mode-

stiae fines praetergressi, nomina quae in album Patronorum honori duximus referre, hodie nos publici iuris facimus.

Hi sunt Eminentissimi Purpurati Patres Vincentius Vannutelli, Franciscus Cassetta, Henricus Almaraz y Santos, Gulielmus O' Connell, Ioannes Baptista Lugari. Praeterea viri excellentissimi ac reverendissimi Antonius Bauer, Iosephus Lopez Mendoza y Garcia, Adam Sapieha, Michaël Napotnik, Iosephus Medardus Kohl, Longinus Zarnowieki, Thomas Kennedy, Nicolaus Marini, Henricus Parkinson. Denique clarissimi viri Albertus Guidi advocatus, Iacobus Tasset, Donaldus Macrae.

Aggregentur his ulti novi Patroni; accedant undique Socii; nos enim

Ardua molimur; sed nulla nisi ardua vincunt:

Difficilis nostra poscitur arte labor.

JOSEPHUS FORNARI
Almae Romae commentarii Moderator.

Ne adulescentes a latini sermonis cultu deterreantur

Quum fausto auspicio ac providenti industria provisum sit ut ephemeride latina lingua exarata, Alma Urbs ditaretur, omnes boni laudibus amplissimis eventum extollere ac, quod maxime in votis est, adulescentium qui in latino sermone sunt erudiendi, profectus in dies maiores sacro bonoque iure inde expectare debent. Qui enim huius Ephemeridis scriptores ad egregiam doctrinam laudem, pro viribus, adulescentium animos componere nituntur, sibi animos addunt, ac quantum dicendo efficere possunt, nunc praecipue, metus terroresque, quibus adulescentes non pauci fortasse retardati facile sunt, ex eorum animis amovere conantur. Incredibile enim est qualia et quanta sint haec difficultates terroresque, ac praesertim

quanto cum liberalium artium detimento eorum plerosque qui sese litteris dediderunt, perterrefaciat Hippocrates, sapiens alioquin auctor et gravis, cuius illud per ora hominum nimis iam celebre circumfertur effatum, quo *longam esse artem, vitam vero brevem*, magno animi sensu, ut ferunt, conquestus est. Omnis ars, nisi gravis labor sustineatur, nisi secessus (carmina enim secessum scribentis et otia quaerunt, ait Ovidius) diligatur, nisi antiquitatis studium collatur, equidem attingi non potest. Sed qui sunt adulescentes, id temporis, quibus in deliciis sit enixe adlaborare, secessum diligere, antiquitatis studium amore prosequi?

Perraro invenias, ac, proh dolor! pestis haec ipsas Seminariorum arcis invasit; nec iam ferme in gymnasiis reperire est, qui perbelli ingenuoque latinae linguae lepore argumenta explanare valent. Hac vero re permoti omnes boni

non itaque hastas abiicere pedemque referre cogitent, sed potius difficultates vanosque terrores refellere conentur, ostendentes nullam artem per sese longam esse et abunde sufficientem vitam, nisi nos brevem fecimus; si quid vero incommodi est, id a nobis, fructus suavitate illectis, magno animo esse fendum.

Hac nova Ephemeride, ad id, novum ac validum adiutorium profertur. Ego enim non negabo Ephemeridem hanc Urbi et Orbi summo decori esse, ex ea que summam voluptatem homines graves vel dissertationibus, vel novis rebus facile sumptuos, quum tales ac tantam virorum locorumque discrepantiam inspexeris, quae latino sermone veluti communi quodam familiarique vinculo constricta ac subacta, dissitas partes Orbis hominesque, ad praesens veluti colloquium inter se conferat atque cooptet; sed, amabo, si Ciceronis effatum: *Serit arbores quae altero saeculo prosint*, aliqua veritate gaudet, nullus equidem senex erit, neque vir dignitate laudandus, quibus adulescentium in latino sermone profectus ex huius Ephemeridis lectione venturus, exploratus atque iisdem eodem tempore cordi non sit. Nec, credo, me falsum habet opinio quod *Summus Pontifex id praecipue, in hac Ephemeride suo decore ditanda, prae oculis habuerit.*

Idecirco eae difficultates nunc attingendae videntur, quae, veluti si quos a littore solventes magnae caussa navigationis occupet metus, longiore cursum solventi effingunt, vana pericula portendunt, omnino suum quaeasitis terroribus timorem alunt. Isti nimium parvi angustique pectoris adulescentes, per longam artem animis discurrendo, tales species umbrasque sibi creant, quale, spectantibus e littore, aequor appetat.

Aiunt enim: Quid attinet tam magnos labores suscipere, ut latinus sermo discatur, in tanta brevitate vitae, quum aut nullos unquam fructus, aut, si quos fructus, eos valde tenues miserosque colligere queas? Viribus ac nervis pro mortuis adlaborare quis credat esse opportunum?

Sed ego: Pro quibus mortuis? Responsum vero ad manus est: *Pro mortuis parentibus*, si tantum de mortuis sermo. Pro mortuis equidem, a quibus cultum humanitatemque universus orbis veluti aquam de viva petra copiose hau sit. Pro mortuis, qui saeculo functi aeternitati vivunt. Ad quid, tanto studio ac diligentia istorum mortuorum collapsa monumenta tentare, explorare, anxie inquirere? Non sunt omnia istorum demortuorum vanae reliquiae? Si vero collapsa monumenta inquirimus, quae erit ratio qua vivens monumentum sermonis a nobis negligatur? Facile viros invenias (eosque doctrina quadam ornatos) quos pudeat ignorare, exempli gratia, theatrum gallum-romanum Parisiis nuper erutum, eos vero crassae, de Romani populi lingua, ignorantiae minime pignusse.

Quid hoc, nisi a se dissidere ac secum pugnantia loqui? Latinus sermo constans ubique fuit honor et gratia vivax maximeque apud Italos nos, de quibus non mihi videntur recte iudicasse, qui Boccaccium illum acerbius accusant, quod primus italicam orationem latino ambitu concluserit.

Qui si nimium, hac in re, hominis studium redarguunt, iure id faciunt; si omnino studium, parum recte. An oratoria periodo graecis et latinis uti licuit, Boccaccio non licuit? Quis tam inique sensit de Italorum lingua, ut quum omnes ferme exhauserit poetarum modos, eloquentiae robur et varietatem, quae in circumscriptione et

flexu sententiarum maxime elucet, eidem denegaret? At non ita antiquissimi scribendi auctores, quorum nativus sermo pure et sedate sine ullo verborum anfractu fluebat? Placetne semper rerum incunabula repetere? Adeone capimur inopi illa proavorum simplicitate, ut nihil praeterea addendum putemus? Festivi sane homines, qui in ceteris artibus ingeniorum ascensum et novitatis gratiam, in eloquentia, quae omnium est praeclarissima, vel rudem ipsam vetustatem laudant!

Quamquam haud me praeterit, non tam numerum, quam latinam imitationem in scriptore illo redargui, quasi videlicet alienam plane formam vernacula sermoni indiderit. Sic opinor, existimabunt qui barbaras origines nostris litteris querunt; at non ita nos, qui in constituenda linguarum cognitione, communes causas et sororiam ipsarum similitudinem praecipue spectandam putamus, quae tanta inter veterem Latii et recentiorem Italorum sermonem intercedit, quanta vix in aliis conspicitur. Nec id mirum, quum in exterarum gentium discursu incorruptae latinitatis lineamenta in his maxime regionibus debuerint superesse.

Ad id faciebat usurpatio romanarum litterarum in pactionibus et in civilis vitae usu recepta. Sed multo magis nostrorum studium, qui diu essent in veterum lectione, non solum ut ex animorum, quasi dixerim, contactu aliquid priscae virtutis imbiberent, sed etiam ut loquendi formas et integras fere dictiones in scripta referrent. Inde Vergiliana et Liviana vestigia in nostrorum carminibus et historiis passim perspicua, ab Aligherio ad Scribam Florentinum et Bentivolum; quos qui legat, aliquem ex Romuli nepotibus sibi videatur audire. Quae si minus vera essent, haud tamen erat succendendum totius italicae elo-

quentiae parenti, quod plusculum in Tullii imitatione fuisset. Si qui succentauri, iure meritoque succenseant in illos qui verba italica ex barbaris vocibus tam inepte deponunt, qui, veterum sapientia, veluti inutili atque obsoleta posthabita, adolescentes omnia ediscere iubent, latina tantum ac graeca lingua exceptis. Qui usus ac mala proclivitas, quale damnum adduxerit, iamdudum a doctissimis viris demonstratum est. Caeci equidem caecorumque ductores habendi sunt qui tali insipientia, latinæ linguae utilitatem in ipsa italica lingua negantes, veluti mortuis demandandum negotium, latinæ linguae studium putant, condemnant.

Quibus tamen rebus posthabitis, adolescentes ac precipue qui sacrae militiae stipendia faciunt, ad laborent, memoria retinentes quanta cura et studio Romanorum Pontifices in universa Romana ecclesia, Romanae linguae cultum fovere studuerint. Haec haereditas nostra, hoc decus nostrum est; nec sinamus tam dignam haereditatem, tam dignum decus per socordiam tabescere atque a nobis ipsis aboleri.

(*Sequitur.*)

Doct. ALEXANDER AURELIJ.

De artis sacrae excellentia et ratione

Ars humana, qualicumque ratione consideretur, exemplar ab arte divina desumat oportet. Universarum enim rerum Conditor, non solum opificis sacri nomen sibi vindicat, quum totius sit auctor operis, et quidquid operatur extra se, in se per gloriae suae manifestationem redundari iubet; sed ipse praecellentib[us] beneficio humanam mentem facultate dedit artistica, quae ad creativam vir-

tutem maxime appropinquat. Quod Paulus, ad Romanos scribens, sculptore veluti sententia expressit: « Invisibilia Dei per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » (1), lyrico iam rhythmo regius olim Psaltes decantarunt: « Caeli enarrant gloriam Dei, et opera manuum eius annuntiat firmamentum » (2).

Iure proinde artis divinae humanam artem Dantes Aligherius filiam salutavit. Deo inservire debet, ne a congenita sua nobilitate deficiat. Effatum vero, ut progressionem tantopere nostra aetate buccinatum, « Ars arti », quasi ars, quidquid attingat, etsi luteum omnisque honestatis offensivum, sua veluti sacra manu purificet, radicatur in rebellione mentis a Deo se ad ima convertentis. Hinc illud in dies magis magisque intumescens plateas usque invadens operum artis diluvium, quorum conspectu non aestheticus modo offenditur sensus, sed et oculi maculantur, virgineus iuvenum violatur candor, pravi excitantur affectus, et pudor publicus, christiana civitatis tutamen et gloria, fatale patitur detrimentum. Cui effato perverso, a Deo simul et a bonis moribus alieno, effatum opponamus honestatem pariter et fidem vindicans: « Ars non sibi, sed Deo ».

Porro, si ob originis ac finis nobilitatem ars omnis sigillum quoddam gerit sacram, veluti emanationem Verbi fronti impressam, quid iam de arte dicendum erit dupliciter sacra, quippe quae, sive per plasticas formas, sive per musicos modos, divino cultui illustrando, fidelibus ad pietatem excitandis directe inservit?

Antiquorum populorum qui maximum sibi nomen vindicarunt historia testatur, nihil ipsis magis cordi fuisse quam ut artis magnificentia Numinum maiesta-

tem extollerent cultumque collustrarent. Fanorum vestigia quae adhuc hodie Nili ripas, Hellenicas oras, Ausoniae littora insulasque decorant; quid gigantea mole, quid styli elegantia, marmorum pretio, signorum gravitate alte lateque proclamant, nisi munus sublime ac prope divinum artis Deo dicatae? Quid pygmoeos nostros atheos docent, nisi stultitiam civitatis a Numine, omnis pulchritudinis ac magnitudinis exemplari et inspiratore, proterve recendentis?

Sed ecce cum Christiana religione artem ad ignotam hucusque dignitatem evectam. Quidquid iubente Deo in antiqua Lege Moyses typice adumbraverat, id totum Lex nova per Christum misericorde extulit. Martyrum sanguine adepta libertate, e catacumbarum latebris christianus cultus splendorem suum, ut sol oriens radios, per orbem dilatavit. Sicut olim Hebraei, excusso saeculari iugo, Aegyptiorum spolia secum in libertatem abstulerunt, ita Ecclesia Christi regia Demosthenis et Tullii idiomata fecit sua, suisque tum plasticas artes, tum melos antiquum, novo sane informata spiritu, ritibus aptavit.

Dum enim ethnica ars, sicuti paganismus universus, terrena sapiens, sensibus, quin et vitiis in ipso numinum cultu blandiebatur, e regione ars christiana, spirituali religioni inserviens, ipsam materiam ad spiritualem dignitatem et gratiam provexit, singulas artes Pauli affata verbo: « Despondi vos uni viro virginem castam exhibere Christo » (3).

Hic « vigor castitatis » – ut liturgice loquar – est veluti primaria forma arti sacra ab Ecclesia impressa. Et sane vetusta artis sacrae monumenta nonne virginali quadam fragrantia redolent, cui diurna saecula nihil de benefico

(1) Rom., I, 20.

(2) Ps. XVIII, 2.

(3) II Cor., 11, 2.

aromate demere potuerunt? Huius artis sursum corda trahentis haeres princeps salutari solet stylus ille architecturalis, qui, fornice paullatim in acutum arcum evoluta, si Italianam parcus, Germaniam, Belgium, Angliam, imprimis Galliam, sparsis ubique audaciae et elegantiae miraculis, inaudita efflorescentia adornavit.

Ast ubi, redivivo artis antiquae cultu, Ausoniae tellus infremuit, et summo ingenio praediti viri iuxta artis pristinae novis usibus aptatae formam tempa exstruxerunt mole splendoreque insignia, heu! non aeque pura flabat amplius avitae pietatis aura. Hinc illa instaurati classicismi portenta admirationem magis solent quam sensum vere religiosum excitare. Fatalis imo quaedam paganismi contagio, a qua ne optimi quidem hac aetate visi sunt plane immunes, ipsam artem christianam non parum contaminavit. Ut inverecunda taceam, quantum discriben inter primum et alterum dictae renascentiae stadium; inter pleraque signa, quae Vaticanam, exempli gratia, basilicam adornant, et artis vere piae vestigia, quae in hypogeo eiusdem templi conspicuntur!

Nec minorem, licet de more lentius evolutam, ars musica inclinationem passa est. Relicta enim gravitate polyphonici styli, quem a Flandris in Italianam induxit Praenestinus magister veluti ad apicem extulit, theatrales concentus templum invadere ausi sunt. Et si quid forte, iubente liturgia, de gregoriano cantu, qui dicitur, supererat, tamquam barbarus anachronismus artis expers, sine arte eructabatur strepitose, more prope antiquorum Germanorum militum, quos lepide recolit Tacitus.

Sed iam magis magisque arridet verae instauracionis aevum. Duce Pontifice Summo feliciter regnante, ecce artem sacram musicam primaevae dignitati re-

stitutam! Modi suaves a Gregorio Magno nuncupati, genuino redditu rhythmo, singulari unctione et eloquentia liturgicos textus orando exprimunt, piaque volupitate populus discit suam canentium choris vocem admiscere. Polyphonicae artis periti magistri, dum reverenti cura priscae scholae immortalia opera degustanda praebent, novis religioso spiritu afflati artisticum Ecclesiae thesaurum operibus ditant. Praeiudicia decidunt imbellia. Iam vulgi gustus in altiora provehiri ubique laete conspicitur. Quae heri, sub vesperum, in maiori aula Cancelleriae Apostolicae in honorem Principum purpurato Collegio recens adscriptorum resonabant; quam undequaque egregiam flandrici magistri Iacobi de Kerle missam «Regina Caeli», in ecclesia Sancto Marcello dicata, optime disciplinatus chorus concentu mirifice modulato nuper expressit; nonne, inter tot alia, fausta rutilant indicia, Pii PP. X provida monita iam arti sacrae novam aperuisse viam?

Utinam et artibus plasticis similis instauratio quantocius contingat! Quae artes, quo magis presse conceptus exprimunt, eo funestius, si ab indole sacra deficiant, fidelium mentes a vero pietatis sensu, quin et a sana doctrina averunt. Sed et heic plura optatae instauracionis arrident vestigia. De quibus, nisi sermo noster lectori ingratus existat, mox dato otio plura dicemus.

Romae, die IV, mensis Iunii MCMXIV.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.

Fortium virorum est magis mortem contemnere, quam odisse vitam; saepe taedio laboris ad vilitatem sui compelluntur ignavi; at virtus nihil inexpertum omittit.

CURTII, lib. V.

EX BATAVIA

De certamine poetico Hoeufftiano

Accepimus, et libenter edimus:

A. d. vii Id. Mart. MCMXIV in conventu Ordinis Litterarii Academiae regiae disciplinarum nederlandicae a iudicibus ita est relatum de xxvi carminibus, quae ad tempus ei fuerant tradita.

Omnino ad certamen admitti non potuerunt carmina, quibus tituli: *Miles triumphalis* et *Andromacha*, utpote quae iam antea parum essent probata et nunc plus minusve correcta denuo in certamen descenderent.

Prorsus hoc certamine indignum erat carmen, cui titulus: *Laus Nervi oppidi*, si iam «carminis» nomine digna vocabula utcunque conglutinata, in quibus nihil inest quod legentem ullo modo detineat. Paulo erant meliora carmina: *De sacro quodam Druidarum*, et *In Constantinum*; sed haec quoque conamina parum felicia.

Sequuntur nunc XII carmina, in quibus haud pauca laudanda inessent. Eorum tria erant eiusmodi, ut post longam demum dubitationem ea non nobis in lucem edenda esse decerneremus. Erant carmina: *Florus Horatio*; *De vita mire operosa Pii X*; *Barbara*. Cetera: *In Romam*; *Lux Sanctae Crucis*; *Anna*; *Lycia et Vinicius*; *Sub Oebaliae turribus arcis*; *Romae antiquae laudes*; *Rhegii Iulii dies fatalis*; *Festina lente*; *Virgilii apud Pollionem*, post aliquam modo disceptationem deposuimus.

Dignissima vero quae sumptu legati Hoeufftiani ederentur visa sunt novem carmina, inter quae eminebant duo: *Dies Neptuni festus*, et quod parum huic cedebat: *Inquinilus urbis*.

At quominus optimo illi omnium carmini praemium aureum decerneretur et maculae quaedam obstabant et quod argumentum non a poeta inventum, sed desumptum erat ex Horatio.

Ex eodem genere carminum magna laude dignorum haec erant: *Canternus lacus*; *Divinum rus*; *Divi Titi arcus*; *Cyme*; *Vitus*; *Rus-urbs*, *Gabriel*. Quorum ut quodque posterius hic nominatur, ita melius visum est. Novem itaque horum carminum poetae invitati sunt ut seculularum aperiendarum darent veniam; quo facto carmina ipsa tradentur typothetae.

Ad novum nunc certamen cives et peregrini invitantur his legibus, ut carmina latina, non ex alio sermone versa nec prius edita argumentive privati, nec quinquaginta versibus breviora nitide et ignota iudicibus manu scripta, sumptu suo ante Kalendas Iuniarias MCMXVmittant ad Hermannum Thomam Karsten, Ordinis litterarii Academiae nederlandicae ab actis, munita sententia, item inscribenda scidulae obsignatae, quae nomen et domicilium poetae indicabit. Ceterum iudicibus gratum erit, si poetae in transcribendo portable prelum Britannicum typewriter adhibebunt.

Praemium victoris erit nummus aureus quadringentorum florenorum. Carmen praemio ornatum sumptibus ex legato faciendis typis describetur, eique subiungentur alia laude ornata, quando scidulae aperiendarae venia dabitur. Hoc ante Kalendas Iunias fieri debet.

Exitus certaminis in conventu Ordinis mense Martio pronuntiabitur: quo facto scidulae carminibus non probatis additae Vulcano tradentur.

Amstelodami, Idibus Maiis MCMXIV.

PII X PONT. MAX.

PROPE OCTOGENARII AGENDI VIS.

(IN DIEM NATALEM II IUNII MCMXIV)

*Sedecim natus PIUS ante lustra,
arduo pergit dare se labore;
quin, et aegrotans, agit efficacem
usque senectam.*

*Ille — quod frusta dolet archiatrus (1) —
non sibi parcit; vacuamque pensis
heu! nimis raram, spatians in horto,
transigit horam.*

*Mane iam primo litat, interesse
Caelitum Mensae cupidus; saturque
Pane divino, meditatur acer
strenua gesta.*

(1) Vox haec originis graecae, pro medico principe, apud veteres scriptores Romanos et inscriptiones passim occurrit.

*Inde, psalmorum seriem revolvens,
septies orat; nec Ave moratur,
quinquies dictum decies, Mariae
fundere Matri.*

*Fretus oratu, PIE, nil recusas
ponderis tanti, quod inest Tiarae;
namque Te fulcit, recreatque lassum,
dextera Christi.*

*O quot et quantas agis Ipse partes!
Orbis es rector, Fidei magister,
iuris interpres, pia norma morum,
pacis et auctor.*

*Supplices ad Te quot eunt libelli!
quanta causarum sine fine silva
ad tuum fertur, Pater atque Iudex,
mite tribunal!*

*Non Tibi vivis; tua spectat omnis
cura, commissas ut oves et agnos
provide pascas, rabie luporum
fuste repressa.*

*Si quis in caulas penetrare furtim
arte vulpina parat hostis, hunc Tu,
pervigil custos, adigis lupinum
prodere vultum.*

*Omnibus late tua se recludit
aula, quo plebes properant ducesque;
panditur doctis rudibusque; sanis
hiseit et aegris.*

*Intrat indutus monachus cucullo,
et sacris virgo redimita vittis;
intrat, imbellis pueros secuta,
gymnica pubes.*

*Huc suos totus Tibi mittit orbis
incolas, lingua varios et ore;
mittit et fuscas facies, adustas
sole sub Afro.*

*Tu pari cunctos pietate coram
excipis, caeli reserare gazam
laetus, et fari bona verba, sanctae
semina vitae.*

*Densior quod si legio piorum
adsit, in vasta Damasi platea
sistis admissos, quibus e fenestra
fausta precaris.*

*Sic dies dicens solidos, brevemque
nocte iam sera capiens quietem,
maximus nostrum minimisque larga
munera confers.*

*Hanc tuam vitam Deus actuosam
augeat lustris aliis; et Almae
detur huic Romae Tibi saeculare
condere carmen!*

FRANC. X. REUSS C. SS. R.

ARCHAEOLOGICAE NOTAE

CHRISTUS VOLUMEN PORRIGENS
APOSTOLO PETRO.

Festo B. Petri adventante, quum aliquid Apostolorum Principem attingens scribere in *Alma Roma* cogitarem, succurrerunt quae de Christi figura Apostolo Petro volumen porrigentis FRANCISCUS TONGIORGI E S. I. magister desideratissimus, cuius auditor fui in Collegio Romano, docebat.

Explorata res est et comperta archaeologis, dissentiente nemine, volumina quae sanctorum virorum imagines manu gestent, ad sacram doctrinam referri, qua illi voce aut scripto tradenda inclauerint nominatim in scriptorum θεοπνευστῶν, et apostolorum manu ad sacrorum bibliorum codices vel ad docendi munus a Christo acceptum et doctrinae evangelicae praedicationem: quo ergo spectet volumen in manu Christi? Profecto ad eam doctrinam, cuius ipse auctor est, quam nempe una cum divina natura aeterna generatione a Patre acceptam in terras detulit, edicens ea quae fide credere et sectari opere debe-

remus; uno verbo, doctrinam qua ipse summus est omnium doctor et novae legis lator Deus.

Quum ergo volumen hoc singillatim a Christo tradatur Petro, intelligimus iam singulare aliquid, excellens, praecipuum, ad hanc ipsam doctrinam quod spectat, ipsi Petro attributum significari; quid vero nisi supremam quamdam et ipsius propriam doctrinae ac legis evangelicae interpretandi, edicendi, declarandi potestatem? Cur enim non Paulo, non alii cuilibet ex apostolis volumen illud traditur, sed Petro, soli inquam Petro? idque neque una binaque vice tantum, sed in aliis bene pluribus monumentis ut ex recensione illorum patet?

Esto, Paullus, ceterique apostoli et ipsi potestatem acceperunt a Christo docendi et praedicandi ubique terrarum, docete omnes gentes, doctrinam evangelicam interpretandi absque errandi periculo, condendarum ecclesiarum, ceteraque apostolico muneri necessaria; sed voluminis traditio facta uni Petro vel nihil innuit, quod nemo credit, vel si quid innuit, aliquid dubio procul adsingificat, quod prae ceteris est illi peculiare ac proprium: «Principem» nimurum designat «apostolici ordinis» «si sua cathedralae unitas servatur». Etenim præterquam quod ceteris apostolis iure, ut aiunt, «extraordinario» in prima illa ecclesiae exorientis conditione datum est, quod iure ordinario ac perpetuo natus est Petrus, non insuper alia id ipsis ratione datum, nisi quatenus Petro coniuncti et suo modo obnoxii essent tamquam capiti, et quas condebat ecclesias eius auctorati et iugi magisterio subiicerent: quemadmodum appositis argumentis theologi et historia ecclesiastica rerum gestarum monumentis demonstrat.

I. BONAVENIA S. I.

DE PONTIFICIO SEMINARIO ROMANO Eiusque novis aedibus ad Lateranum

Quod Tridentini Patres, ut maximis Ecclesiae vulneribus mederentur, in Sessione XXIII decreverunt, Clericorum tirocinia ad singulas Cathedrales Ecclesias congregari, omnium primus perfecit Marcantonius Amulius, Episcopus Reatinus; Roma vero secundas tenuit, eiusque Seminarium conditum est Kalendis Februariis a. MDLV. Eius provinciam Loyolaei Sodales obtinuere, qui tanta iam laude Germanicum collegium regebant, ab ipso Ignatio ad recuperandos Romanæ Ecclesiae illius regionis incolas positum. Ex ea amussim societate Ioannes Baptista Petruschi Romanus advocatus est qui novum Seminarium moderaretur. Quo quidem auspice viro Sacri tirocinii ea vita orta est quae pietate, disciplina, studiis litterarum, citos atque uberrimos fructus ediderit.

Domus tironum prima in aedibus Rodulphi de Carpi Patris Cardinalis patuit; mox in Cardinalis de Valle, inde in alias Cardinalis Columnae deducta est. At Paulus V P. M., anno MDCVIII ineunte, iussit propriam sedem a Seminario emi ad S. Macuti, eamque et suscipiendis tironibus sacris accommodari. Tunc primum igitur sua domo tirones usi; scholas vero frequentarunt Romani Collegii, quas idem Ignatius Pater Legifer considerat sub arce capitolina, mox prope templum S. Mariae in Via Lata distulerat. At eas brevi Gregorius XIII Pont. Max. in aedificio illo maximo collocavit, quod incredibili sumptu exstruxit tantaque amplitudine et maiestate, ut speciem dignam Romanæ magnificantia præferre diceretur.

At florentibus Romanii Seminarii rebus, non tamen eadem erat Germanici collegii fortuna. Maxima enim premente

inopia consilium invaluerat uno eodemque loco et laicos discipulos, qui suo sumptu viverent, et clericos qui Ecclesiae bonis alerentur, accipere. Quae sane dissimilis rerum conditio, eas brevi dis-



NOVI SEMINARII LATERANENSIS ADITUS.

cordias inter utrumque coetum excitatuit, ut iusserit tandem Pontifex laicos tirones dimitti, et, si frui vellent sociali institutione, eos in Seminarium Romanum migrare.

Non tamen sublata est ideo discordiae

igitur anno MDCCCLXXI Apostolici Legati qui Seminarium lustrarent. Hi sane eam communionem alumnorum et «convictorum» qui dicebantur, omnino absonam, et clericis recte instituendis prorsus obnoxiam decrevere. Placuit igitur Pon-


causa, sed mutavit locum; quin imo in novis aedibus ita crevit, ut, quae iam vertente saeculo XVIII calumniae et odia in Loyolaeos Sodales ferebantur, eas mire foveret et late multiplicaret. Missi sunt

tifici utrumque coetum dimitti, Seminarii ostia claudi, negotia eiusdem redintegrandi in aliud tempus differre.

Quae vero consilia dum quaerunt exitum, calamitosa illa supervenit Societatis Ignatianae suppressio, quam eius hostes tamdiu tamque **improbe** moliti fuerant. Soluto tamen Moderatorum collegio, non ideo fas erat Romanam Ecclesiam suo Clericorum tirocinio carere.

cito ingruerunt Gallicae seditionis dies. Pius VI primum, deinde eius haeres Pius VII sede sua per vim exturbantur, Ecclesiae bona diripiuntur passim, resque Seminarii brevi extenuantur ita ut alumnos frustra collectos rursus dimitti oportuerit.

Sed cecidit tandem divina manu subversa Gallorum Caesaris gloria: rediit in Sanctam Urbem Pius, atque vix in



NOVI SEMINARII LATERANENSIS PROSPECTUS INTERIOR.

Quinimo gravior fiebat in dies necessitas sacerdotii alumnos fovere pios, qui christiano populo digna ministeria praestarent.

Romani Collegii in desertis aulis coalescere iterum tirones Ecclesiae Romanae iubentur, eorumque cura permissa est Sacerdotibus doctrina et virtute praeclaris, quos inter et veteranis compluribus e soluta Ignatii militia. Brevis tamen favit novo collegio fortuna, cui

Petri solium restitutus nihil habuit antiquius, quam Societatem Iesu funditus redintegrare eique reddere Ignatii templum et Romanii Collegii aedes. Qui autem ei successit, Leo XII, Seminarium Urbis instaurandi cupidus, locum ei dedit ad S. Apollinaris, quod idem tenuit ad nostros usque dies.

Aedes hae vero, nobiles licet et ampleae, non sane fuerant ad tironum hospitium aedificatae; itaque iis fere omni-

bus carebant vitae commodis, quae tum alendae tum instituendae iuventuti necessaria hodie habentur in ephebaeis. Quae causa fuit sollicitandae Summi Pontificis munificentiae, ut novas aedes Seminario Urbis cogendo compararet. Selectus iis locus est ad Lateranensem Basilicam, urbis et orbis omnium Ecclesiarum caput, ubi floruit antiquitus Magni Gregorii schola, quae tantos aluit Principes Ecclesiae et Urbi. Ibi adamussim domus exstructa est magnitudo excelsa, lineamentis pulcherrima, salubritate insignis: et inscripto Pii X P.M. conditoris nomine, superiore mense Maio sollemniter dicata.

Suis igitur in splendidis aedibus, patente hinc in Urbem prospectu inde in agrum atque in Latinos montes, Romanum Seminarium habet nunc sedem; novaque inhiat auspicia, quae ipse Conditor datis litteris proposuit. Quae quidem sunt, ut Romanum Seminarium, quod omnium oculos in se facile allicit, fiat ceteris exemplar ecclesiasticae institutionis longe praeclarum, et eos entriat Ecclesiae ministros, quales ipsa vult et temporum necessitas quaerit. Quibus sane paternis votis pii omnes adpreciamur; iisque maxime qui eiusdem inter septa fuimus olim exculti et bonis litteris et ingenua fide. Hinc pie erigimus divinis Christi verbis, quibus Ipse despontit se Ecclesiae sua nullae aetate defuturum, itemque Petro adstitutum aeterne. Cui idecirco adfuit iugi praesidio Sanctaeque Urbi, quam eius sanguine voluit sibi nuptam, ut arcem invictam veritatis poneret universo orbi.

IOACHIM ANTONELLI COSTAGGINI.

Deus quibusdam malis, tamquam carnificibus, usus est ad sumendas de aliis malis poenas.

PLUTARCH, *Comment.*

COMMUNIA VITÆ

FRIDIANUS

SIVE

DE INCONDITO ADULESCENTE (1).

Fridianus adulescens, ex quo, abhinc menses tres, a pueris excessit, Calogerum, viduum patrem, fatigat precibus, ut in coetum virorum frequentiamque aliquando et ipse trahatur. Obstitit pater, donec a Lentulo amico ad diem festum quemdam in huius domum celebrandum cum unigenito suo invitatus, ultra resistere non valuit, promisitque venturos. Quisnam laetum Fridiani animum verbis exprimat? Nihil amplius cogitat, nihil desiderat, exspectat nihil, praeter vesperum illum auspicatissimum, quo tandem... « forum attingat vitamque civilem ineat ». Iamvero adest tempus. Fridianus urbis tabernas, aliquot iam horas, circumcursat ut omnia sibi comparet, quae necessitati succurrant: tonstrinam adivit, barbamque, seu potius lanuginem, sibi novacula abradi iussit, capillosque a fronte contra naturam coargui; adivit mercatores plures, apud quos vel certior fieri voluit mandata prius fuisse illos diligenter persequutos, vel novas res commisit, vel ipse secum rapuit, timens ut praeter tempus sibi deferrentur. At pater maiora timet; scit enim Fridianum suum maxime inordinatum et inconditum adulescentem esse, atque ad iram pronum; non igitur mirum, si anxiò animo redditum filii exspectat una cum Stasimo servo, quem valde sollicitat ut munere suo attentissime fungatur. Sic enim eos inter se colloquentes invenimus:

(1) Agitur hic de vestibus atque de utensilibus domesticis. Colloquii phrases pleraeque deductae sunt ex Plauto ac Terentio.

STASIMUS (*vestimenta Fridiani per ordinem in cubiculo disponens*). — En, omnia in promptu sunt.

CALOGERUS. — Attendisti ne nihil desiderari?

STA. — Ne dubites. Quum herulus meus rediverit, omnia quae de cultu sunt sub oculis ei praestabunt, a subucula ad capitis tegimen.

CAL. — Euge, Stasime; non enim ignoras, si Fridianum quidquam defecerit, omnia eum mixtum atque turbaturum.

STA. — Ehm, si novi hominem!... Itaque omnia composite instruxi.

CAL. — Ceterum bonus ille est puer; crebrius perlucet quam cribrum: dicto audiens parenti, oboediens, gratiosus... possidet quidem quae valent ad conciliandam benevolentiam, ad allicendas voluntates. Quam ingenue felix hodie, quum demum quae somniabat vigilans consequetur: virilem togam sollemniter coram omnibus hac die induet.

STA. — Ubinam huiusmodi toga? Sartor enim manicatae tunicae, seu potius caracallae (1) genus unice apportavit, idque nigrum omne et ad crura retro productum, hirundiniae caudae instar.

CAL. — Atqui hic, nostra aetate, vestiendi mos liberalibus viris civilem vitam viventibus!.... Quamdudum Fridianus meus id vehementer concupiscebatur! Ego vero, qui istud arbitror apprime in vita esse utile, ut filius patrisset duretque in paternis aedibus, cunctari lactitans, in longum trahere, donec...

STA. — Manus vietas dedisti natoque animum explevisti.

CAL. — Quomodo abnubarem? Lentuli schedulam ad invitandum ipse a tabelario accepit...

STA. — Ceterum comi ac leni animo esse interdum patrem oportet.

(1) Caracalla vestis fuit, a Gallis fortasse Romam inducta, ex concisis pannis consuta,

CAL. — Ita quidem animatus fui et sum. Ille autem prae beneficii gaudio artius complecti me, dissaviari, exsilire, ac... Pocillum ansatum quod fractum et comminutum invenisti...

STA. — Ecquid?

CAL. — Is aegritudine illa gaudium suum incaute contaminavit.

STA. — Eius vitium!

CAL. — Sane; quod ordine omnino caret. Ego id scio quam doleat cordi meo! Liquido sum animo nunquam. Nunc etiam, quia moram redeundi facit, madeo metu. Heu, si calamitatem aliquam subierit! (*Tinnit vehementer tinnabulum*). Atat eccum ipsum! (*Iterum effuse tinnitur, voxque auditur Fridiani*: — Heus vos, aperite ostium!) — Propera, propria, puer.

(*Stasimus ut aperuit ostium, Fridianus corripit se intro incomposite*).

CAL. — Salvum gaudeo te advenire, ocelli mi. Quid te tamdiu foris retinuit?

FRIDIANUS. — Supersede, pater, supersede, quaeso, istis interrogationibus: sudo satis. (*Ex capite removet longeque, sellam aliquam versus proicit petasum, qui, contra, in terram decidit*). Tot tantaque mihi commisisti, tot tantisque mihi providendum fuit, ut...

CAL. — Ut iam te poeniteat Lentuli festum participare?

FRID. — Poenitere me? Locaris! Bene scis enim nihil hoc festo esse quod malvelim. (*Haec dicens exxit se thorace ac pectorali, et, quo citius id faciat, thoracis manicas invertit, omniaque huc illuc dissipat*).

CAL. — Intende tandem aliquando ordinis! Nonne vides ad quas incitas vestitum illum redegisti?

STA. (ad vestes colligendas ac depulverandas se accingit). I. F.

(*Ad proximum numerum*).

non sinuosa, sed manicata et corpori adhaerens.

NOSTRAE RES

QUAESITIS AD REFERENDUM
RESPONSIONES.

Eo adamussim fine ut commentarium nostrum quam maxime acceptum plurimis redderemus, in superiore numero nonnulla *quaesita ad referendum* proposuimus, lectoresque invitavimus ut pro suo quisque ingenio scriptis responderet: huiusmodi sententias nos evulgantes disceptationes moveremus, pluribus rationibus utiles, quemadmodum facile liquet.

Iuverit ante omnia ipsa quaesita repetere:

- I. *Placet ne tibi commentarius noster?*
Quae menda in eo invenisti?
- II. *Quaenam capita sive argumenta mavis? Quae addenda? Quae expungenda?*
- III. *Quum de rebus sit agendum quae hodiernae vitae usum respiciant recensque inventa, opportunius ne tibi videtur vocum et phrasium distinctas series confici; an ea per descriptiones et colloquia offerri?*
- IV. *Quasnam rationes ad commentarium prolatandum suggeras?*
- V. *Quos viros habes a te satis cognitos, quibus non sine aliqua probabilitate successus «Alma Roma» speciminis gratia tradi possit?*

Hisce interrogationibus socii plures rescripsérunt; responsa vero angustis terminis circumscripta generatim fuere: hinc enim pro scriptorum benevolentia laudes, animi confirmationem, incitationem; inde leves animadversiones et quasi trepidae, quae rursus deinde in elogia incidenter, nosque — candide fatemur — ancipites relinquenter in quam partem, quae dicerentur, sumere deberemus. Addamus, ea plerumque inter se minime congruere?

Unus tamen vir, H. P. Anglus, inter omnes excelluit, qui vere *patronum* nobis sese ostendit; non enim patronorum stipem conferre in opus nostrum liberaliter voluit, sed fusa epistola iudicium ac desideria sua aperte patefecit. Quas quidem litteras hic hodie magna ex parte, scilicet substantiali, referentes, confidimus longi ex sociis nostris sermonis initium nos pepulisse.

Ita igitur, circa praecipuas nostras percontationes, scribit Patronus:

« II. *Quae addenda?*

Dentur identidem articuli litterarii, historici de auctoribus quorum mentio fit in notula ad paginam 14.

Praeterea plurimis gratum erit legere studia litteraria de magnis auctoribus, ex. gr., Lactantio, Tertulliano, Ambroso, Leone, Augustino, Gregorio, Hieronymo, Bernardo, etc.; et de cursu sermonis latini.

Gravissimum est id quod a I. Tasset tangitur ad paginas 6, 7. Res enim penes nos ardet: plurimi acatholici in praecipuis scholis publicis Angliae et in atheneis, restauratum (ut dicunt) pronuntiandi modum adoptarunt.

C valet K; G aspere sonatur, et V pronuntiatur eo ferme modo quo Angli sonant w vel Germani nonnulli v. Quidam insuper in Collegiis nostris Cathollicis in eam viam inierunt, quam pronunciationem etiam in sacra liturgia introduxerunt. In ipsa mea schola philosophica iuvenes, ob ordinem et uniformitatem in domo servandam, rogantur ut dimittant hanc suam pronunciationem, et substituant modum italicum, qui in usu est apud nos in Seminario inde ab anno 1873.

Praeterea in scholis praecipuis acatholiconi magni faciunt et a pueris exigunt debitum sonum vocalis longae vel brevis; id quod, ut notissimum est,

prorsus negligitur Romae, et quidem universim in scholis.

Res sane ardua est; ideoque miratus sum maxime, videre in ipso primo numero «Almae Romae» et sub oculis Summi Pontificis adumbratam tantam et tam optabilem restorationem. Sunt qui dicant linguam penes nos Catholicos esse «linguam viventem», cuius dicendi recta norma petenda est ab Italib, et ab Ecclesia. At vero quod ab Italib sit discenda norma rectae pronuntiationis non omnes facile concedant. Et quod ad Ecclesiam attinet, ipsa nullam habet formam sancitam, sed in gremio Ecclesiae, et penes ipsos professores et sacerdotes, plures sunt modi pronuntiandi eamdem linguam quam sunt nationes!

Ad aliam nunc materiam transeo, de qua iam in scripto nonnulla animadvertisi. Numquid igitur solis doctis et eruditis offertur «Alma Roma»? Sed cur non iuvenibus et pueris quaedam concedere licebit? Duas paginas ad usum speciale eorum peto. Commendo aliquid in stylo eorum, quae pro infantibus suis scripsit clarissimus et eruditus vir E. A. Sonnenschein. Duo volumina huius opellae aperte (*Ora maritima*) legimus in schola nostra latina; et lecta aliqua sectione, ab uno aliove postulabam brevem relationem eorum quae audiverat. Experientia iam probavi praesentem numerum difficultorem esse quam aperte legi possit in schola, saltem sine praevia præparatione, vel notitia matteriae de qua agitur. Praeterea, cur non edentur comoediae breviores et iocosae? Quarum quo recentior res sive actio, eo melior.

« III. *Quae expungenda?*

«Roma Sacra», ut mihi videtur, minus convenienter locum habet in commentario litterario, notitiaque in ea contentae facile reperientur ab omnibus ferme lectoribus in aliquo alio scripto.

Vellem ut instituerentur duas sectiones; quarum altera notitias præberet de publicis coetibus legibus ferendis; altera de praecipuis per orbem cuiusque mensis eventibus.

III. *De vocabulis et phrasibus.*

Quod vocabularium attinet, malo ut vocabula et phrases seorsim a contextu orationis alicuius exhibeantur. Si hoc fiat non quidem ordine alphabeticō, sed ordine potius systematico, lectores, et maxime iuvenes, ea facilius addiscent».

**

Haec noster; qui — et ei sint debitae gratiae — iuxta subsequens quaesitum V addidit nomina aliquot clarorum viorum, ad quos commentarium mitteremus.

Dicamus nunc nos quae de iis animadversionibus sentiamus? At maxime proficuum credimus haec ad alium numerum delegare, eaque etiam de causa, ut scilicet campum liberae amplissimaeque disputationi, nobis, ut diximus, vehementer exoptatae, relinquamus.

ALMA ROMA.

ANNALES

Albaniae principatus postremo hoc tempore regionem sese ostendit deprehensionum plenam; deprehensionum vero illarum, quae, abhinc medium saeculum, Serbiae, Rumeniae ac Bulgariae primordialem liberam vitam comitatae sunt. Dum Albanici publici consilii praeses Turkhan, Romae, Vindobonae ac Budapestini quietem in Albania constitutam confirmat, dumque composita esse tandem discrimina cum Graecia atque Epirotis nunciantur, en Sjak in oppido, ad decem millia circiter passum ab urbe capite Dyrachio, mahumeta-

35

norum agricolarum seditio oritur; huic sequatur oportet Italicae classis redditus, ad tutamen principis invocatae vix quum vela dedisset, simulque necopinata Essad, bellicae rei administri, comprehensio, prodigionis crimine accusati, eiusque exilium in Italiā, data fide se iniussu principis in patriam nunquam redditum. Huiusmodi autem remotio rebellium mahometanorum iram acuit, qui et numero augentur et hostili mente graviter Dyrrachio minitantur, urbi non satis adhuc munitae, cui nec Italicae nec Austriacorum copiae, quae illo in portu sunt, subvenire possunt, quum earum officium unice sit vitam Principis eiusque familiam tueri, non quidem, sine concordi reliquarum exterarum Europae nationum consilio, in apertum campum cum factiosis decertare. Utique mediationem suam ad discrimen componendum earum duces interponere conati sunt; quid vero? Vel demarchi tempus et locum coeundi ipsis conditum fallunt, vel tunicatum popellum praemittunt nova semper reposcentem eaque plus minusve tempestiva, plerunque autem quae nullo pacto concedi queant, ut de mahometana potestate illic restituenda, de Gulielmi principis substitutione, de Essadii subito revocatione. Exitus unus ex hisce negotiis fuit captivorum redemptio, inter quos numerabantur Batavi nonnulli centuriones vigilum cohorti addicti, ac Rumenicus quidam legatus. Rerum status, ut facile apparet, satis est involutus, neque certe ad tranquillitatem inducit.

**

Nihil pariter certi ac definiti **ex Mexicana republica**. Niagara Falls, Canadensi in urbe, civitatum inferioris Americae legati de conciliatione disceptant, quamquam probabiliter huius termini ex sese finientur, discessu Huerta prae-

sidis illius, quem vulgo dictitant ad eam voluntatem inclinasse, ut in Europam transmigraret ibique sedem suam poneret; idque post Tampico urbem a «constitutionalium» quos vocant factione recens occupatam.

**

Gallis in Mauritania nova proelia non sine sanguinis effusione obeunda fuere in orientali illius regionis parte, post annos quatuor domita nondum; **domi** autem nova comitia habita sunt, quae favorabilia administratorum collegio cessisse videbantur; re attamen, quum publicorum legatorum coetus congregatus est, illud a moderanda republica se abdicare oportuit.

**

Publicus quoque Turcarum coetus legibus ferendis, qui a mense Augusto anni MCMXII sessiones suas intermisserat, nuper convenit, imperatoriaque orationi triste munus contigit clades acceptas enucleandi territoriaque amissa; quod digne ac sobrie factum est, spesque posita de pace in posterum atque de regni fortuna, quae certe Europae civitates omnes uno animo optant.

**

In Anglia denique tertio, in Communium (ut vulgo dicitur) coetu, rata lex **de propriis iuribus Hiberniae elargiendis**. Nunc eadem popularium legatorum aulae exhibenda est cum exceptionibus ab Ulster regionis incolis, ad tempus saltem, requisitis; rerumque condicio satis implexam se praebet. Si enim praefatam legem, quamvis ut supra emendatam, legati reiecerint, eam tamen non confirmabunt, quum peculiare ius, an. MCMX sanctum, id constituat; tum vero civile bellum in Ulster provincia facile oriatur. Si, contra, ob inductas exceptiones ap-

probaverint, Hibernici legati suffragium suum administris negabunt, quibus ab officio recessendum erit; quod novarum perturbationum causam procul dubio constituuet. Quid igitur?... Eventus nos docebunt.

POPLICOLA.

VACUI TEMPORIS HORA

Manus huic capiti in superiore numero admovens, lectores vos, amicorum optimos, rogabam utrum haec *Almae Romae* vox alte vobis in pectus descendenter. Non hic repetam quae paulo ante legere vobis de re datum est; unum id praestabo, eam poetarum quoque flamen movisse. Haec enim comptissima carmina ad nos MARCUS GALDI, clarissimus Beneventani regii lycei doctor, ultro mittebat, quae — salvis modestiae legibus — honori ducimus publici iuris facere, eruntque procul dubio legentibus gratissima:

Ad JOSEPHUM FORNARI Equitem
«Almae Romae» moderatorem.

Optima tentasti: liceat nunc inde referre
Praemia pervigili digna labore tuo.
Nisibus egregiis et magnis sumptibus adsit
Par Fortuna comes, Spes et amica, precor.
Quidquid enim possis volvendo exposcere chartas,
Quidquid enim penitus te refovens capiat,
Hic est quo manibus possis attingere plenis:
Munera largitur pagina quaeque ferax.
Seria si queraris, si poscis ludicra, musis
Si cupide praefers Religionis opus;
Cernere si exceptas quidquid vel docta vetustas
Scripserit, aut quidquid tempora nostra ferant
Si magis aut flagras, mi lector, amore videndi
Res quoque lingua novas exprimat ut latia,
Huc tende assiduus «Romam» et pervolve libellum
«Almam», qua lecta, gaudia concipies.
Germina namque vides virtutum condita in isto,
Quae si callebis carpere, pectus alent.
Hinc ego dum ex animo felix congratulor ausum,
«Alma» voco, salve: «Roma»: triumphus erit.

Restat nunc, ut ominatus triumphus sequatur; idque praecipue in vestra manu est,... patres conscripti!

**

Atque eo magis quod spero commentarii nostri lectionem non ita vos tacturam ut somnium vobis conciliet, quemadmodum apud Plautum in *Amphitrione* (act. I) Sosiam personatus Sosia Mercurius tentasse volunt. Volunt, inquam, nonnulli interpretes; si enim unde petita vere sit haec loquendi ratio: «Aliquem tractim tangere ut dormiat», attente inspicerimus, in sententiam veniamus, cui profecto assentiri toto animo et nobis liceat.

Contra eos enim qui autumant hanc formulam a nutriculis deductam, quae cantantes etiam palma leniuseule pulsiones difficilius dormientes mulcent; eosque simul qui ritibus medicorum eam referunt, quibus mollem manum aegris imponere et manu pendente tractimque istis somnum conciliare mos ferat, testis est Caelius Aurelianus, «mollem manum» saepe inculcans, aperte indicando quis eius usus in curando fuerit. Ut alia loca omittamus, en quae legimus in lib. II, c. vi *Acut*: «Ut ea quae in corpore frigida fuerint membra, blando tactu manibus continenter levi cum frictione vaporemus». Ac lib. I *Tard*: «Manu etiam calida et digitis molli tactu loca dolentia contingenda cum requie et silentio aegrotantium». Silius item: «Ligat inde et vellera molli circumdat tactu». Hinc clarum est, mollem manum medicorum nequaquam somno conciliando esse, sed partibus affectis calefaciendis et leniendis. Ceterum nonne ad hunc finem nostris quoque diebus mollem manum adhibemus? *Massagium* vulgo agi tunc dicimus, novo verbo, fortasse a graecanico *μάσσω*, — (hoc est proprie «farinam subigere; condepsere»)

— inducto; ast actionis scopus idem; sitque is pariter de *Alma Roma* pro tēpentibus et ... e stomacho latinitatis laborantibus.

**

Sed iam inter carmina et medicam artem recte accipiendam tempus trivimus nobis concessum. Ad coenam igitur properemus, cuius non ipse hodie partem apparavi, sed integrum coquus exquisitus disposuit, praebuitque iam Romae amplissimo coetui, paucis ante diebus, mensae ordine distributo uti sequitur:

*Pulmentum purpuratum.
Lintriculae ex ofellis, legumentis oxiportis
oneratae.
Trutae Rhedonenses muriaticae, cum em-
bammate cammarorum.
Bubula terga ad Gallorum rationem con-
fecta.
Coturnicum fartarum caespes.
Brixienses gallinae ad crustula assae.
Acetaria.
Asparagi elixi, intinctu conditi.
Spuma lactis ad Orientalium morem.
Bellaria.
Caseariae virgulae.
Vina... quae amabitis, dummodo ne ad
ebrietatem abutamini.*

Iocosa.

Rusticus quidam qui primum in urbem advenerat, eamque perlustrabat, in tabernam occurrit quavis merce vacuam. Nummulariam tabernam illam esse ignorans, curiositate impulsus, introgreditur, absque trapēzita semisopito elata voce quaerit:

— Quid istic venditur?
Qui alter inurbane:
— Asinina capita!
— Gaudeo equidem, quod residuum
unum solummodo venale superfuerit!

Aenigmata.**I.**(vulgo *Rebus monoverbum*)**RE I****II.**

*Primum factum ex arboris
ramo, vel ex arbuscula.
Quid alterum? Bestiola.
Quid vero totum? Multiplex
Sensus est illi: stipula,
arundo, stylus, bellicum
telum simul. Arripite.*

(Aenigmata in superiore fasciculo propo-
sita his respondent: 1] *Fleo*. — 2] *Roma,
Amor*).

IOSFOR.

Libri dono accepti.

H. M. IACOBELLI. *In campo latinitatis novi
flores.* Romae edid. Angelus Signorelli,
MCMXIV. (Ven. lib. 3).

I. GALBIATI, Mediolanensis. *Inquiritur in
M. Tullii Ciceronis exordii de re publica
capita quae manserunt eorumque fontes.*
Brevis disputatio. — Romae, typis Aem.
Cuggiani, MCMXIII.

Prof. PAOLO AMADUCCI. *Lo schema dottrinale
della Divina Commedia ad uso delle scuole
e di cultura* (Dall'opera dello stesso Au-
tore: *La fonte della Divina Commedia*. —
Rhodigii (Rovigo) edid. Officina Socialis,
1913. (Ven. lib. 1,25).

Sac. Dott. UBALDO MANNUCCI. *Istituzioni
di Patrologia ad uso delle scuole teologiche.*
— Parte I. Epoca Antenica. — Romae,
typis polyglottis Vaticanis, 1914; deposit.
apud Librariam Pontificiam Friderici Pu-
stet (Ven. lib. 2,25).

Sac. Dott. LEONE TONDELLI. *Le odi di Sal-
lomone.* Cantici Cristiani degli inizi del
II secolo. Versione dal Siriaco, introdu-
zione e note con prefazione del Dr. An-
gelo Mercati. — Romae edid. Franciscus
Ferrari, 1914. (Ven. lib. 7,50).

Le *Confessioni di Santo Aurelio Agostino*
volgarizzate da Mgr. Enrico Bindi. —
Romae edid. Desclée et Soc., 1914. (Ven.
lib. 2,50).

P. GILLET. *Pedagogia e Religione.* — Indi-
dein. (Ven. lib. 3).

*Latin songs ancient, medieval and modern
with music,* edited by CALVIN S. BROWN.
— Apud G. P. Putnam's, Neo Eboraci
ac Londini, 1914.

(Recensio Librorum ad proximum nu-
merum).

ROMA SACRA**Acta Pii X P. M.**

Die xxv mens. Maii mcmxix in aedibus
Vaticanis Sacer Purpuratorum Senatus ad
Consistorium convenit, in quo Pius X P. M.
creavit et publicavit S. R. E. Cardinales:

ANTONIUM MENDES BELLO, Patriarcham
Lisbonensem, quem «in pectore» reser-
verat in Consistorio d. xxvii mens. Novem-
bris MCMXI; VICTORIANUM GUIASOLA Y ME-
NENDEZ, Archiepiscopum Toletanum; LUDO-
VICUM NAZARIUM BÉGIN, Archiepiscopum
Quebecensem; DOMINICUM SERAFINI, Ar-
chiepiscopum tit. Seleuciensem S. R. et U.
Inquisitionis Assessorem; IACOBUM DELLA
CHIESA, Archiepiscopum Bononiensem; FRAN-
CISCUM DE BETTINGER, Archiepiscopum Mo-
nacensem et Frisiensem; IOANNEM CSER-
NOCH, Archiepiscopum Strigoniensem; HE-
CTOREM IRENAEUM SÉVIN, Archiepiscopum
Lugdunensem; FELICEM DE HARTMANN,
Archiepiscopum Coloniensem; GUSTAVUM
PIFFL, Archiepiscopum Viennensem; SCI-
PIONEM TECCHI, Sacrae Congregationis Con-
sistorialis Assessorem; PHILIPPUM GIUSTINI,
Sacrae Congregationis de Sacramentis Secre-
tarium; MICHAËLEM LEGA, Auditorum S. R.
Rotae Decanum; AIDANUM GASQUET, Con-
gregationis Benedictinorum Anglicae prea-
sidem.

In allocutione ad Sacrum Purpuratorum
Senatum, occasione consistorii ipsius habita,
Pontifex tot Emorum. Patrum casum quum
doluisset impetusque in Ecclesiam Dei prope
quotidianos esset conquestus, solatia attigit
quae a sollemnibus saecularibus ex Constanti-
niano pacis editio promulgato Supremi Patris
animo subvenerunt, quum catholicus orbis vi-
sus est Crucem Christi tamquam extulisse ma-
nibus eamque humano generi laboranti uni-
cum pacis fontis salutisque demonstrasse.
«Nunc enim — inquit, — si unquam alias
quaeritur pax; quum videmus late civium
ordinibus, gentes gentibus, populos
populis infensos, ex similitibus, quas inter-
se gerant, quotidie aceribus in horrifica
saepe ac repente certamina erumpere. Sunt
sane rerum usu praestantes gravissimique
viri qui, civitatum atque adeo humanae so-
cietas sibi causa proposita, consilia et ra-
tiones communiter elaborant, quemadmodum
et calamitates turbarum caedesque bellorum
prohiberi et perpetua domi forisque aliae
pacis praestari bona possint. Optimum enim
vero propositum, sed parum fructuosa con-
silia, nisi detur simul et impense quidem
opera, ut iustitiae caritatisque christiana
praescripta alte in animis hominum radices
agant. Hodie ut tranquillus turbidusve sit
status vel societatis civilis vel reipublicae
non tam in iis qui rebus praesunt, quam
positum est in multitudine. Orbatis autem
vulgo mentibus traditae divinitus luce ve-
ritatis, nec assuetis animis christiana legis
disciplina contineri, quid mirum, si caecis
cupiditatibus flagrantes multitudines ad
commune exitium praecipites ruant, quo a
callidis concitatoribus, qui propriae solum
utilitati student, impelluntur? Iam vero,
iustitiae et caritatis custos, magistra veri-
tatis a divino conditore suo constituta Ec-
clesia, quum una omnium maxime ad com-
munem salutem valeat, nonne civilis sa-
pientiae sit in administratione reipublicae
non tantum sinere ut suo ea munere solute
ac libere fungatur, verum etiam omnibus
eam subsidis adiuvare? Quod contra fit;
nam sic plerumque agitur cum Ecclesia,
quasi non rerum, quibus hic humanus civi-
lisque cultus maxime continetur, procreatrix
quaedam et parens fuerit, sed hostis et ini-
mica habenda sit generis humani». Verum
haec commovere Ecclesiam non debent;
notum est eam, exemplo Christi, ut ad bene
faciendum, ita ad iniurias pro beneficiis ac-
cipiendas natam esse; itemque non igno-
ratur nunquam ei, nedum in rebus asperis,
divinam opem defuturam; cuius quidem rei
sponsor Christus est, testis historia; quae
hisce ipsis diebus revocat Pium VII P. M.
e Gallica captivitate Romae suae centum
abhinc annis triumphantem restitutum. Pias
monitiones hoc eventu deducens, Pater san-
ctissimus orationem suam conclusit.

Dr. JOSEPHUS FORNARI, sponsor.

Rome, ex off. I. Bertero et Soc. (Via Umbria, 27).

Libraria Pontificia
FRIDERICI PUSTET
 ROMAE - PIAZZA S. LUIGI DE' FRANCESI, 33. - ROMAE

Bibliotheca Sanctorum Patrum et scriptorum ecclesiasticorum
 terarum cultoribus accommodata. - Collectio optimorum operum SS. Pa-
 trum tum Graecorum, tum Latinorum cum commentariis amplisque praefatio-
 nibus. Singula volumina ad pag. 250 concinne impressa ven. lib. 3.

VOLUMINA EDITA.

SERIES I.

Vol. I. — Didaché, seu Doctrina XII Apostolorum - Epistola I Clementis ad Corinthios.

» II. — Ignatii et Polycarpi, Epistolae.

» III. — Barnabae, Epistolae - Epistola ad Diognetum - Clementis Romani, Epi-
 stola II ad Corinthios.

» IV. — Clementis Romani, Epistolae de Virginitate - Hermae, Pastor (Visio-
 nes, Mandata).

» V. — Hermae, Pastor (Similitudines) - Papiae, Fragmenta.

SERIES II.

» III. — Irenaei, Adversus haereses (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES III.

» I. — M. Minucii Felicis, Octavius - Q. Sept. Flor. Tertulliani, Apologeticus.

» II. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, De praescriptione haereticorum - De testimonio
 animae - De baptismo - De poenitentia - De oratione - De pudicitia.

» III. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. I et III).

» IV. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (IV).

» V. — Q. Sept. Flor. Tertulliani, Adversus Marcionem (Lib. V). Adversus Va-

lentinianos.

SERIES V.

» I. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. I et IV).

» II. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. V et VIII).

» III. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. IX et X).

» IV. — Hilarii Pictaviensis, De Trinitate (Lib. XI et XII). De Synodis seu De

Fide Orientalium.

» V. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. I et III).

» VI. — Ambrosii Mediolanensis, De Fide ad Gratianum Augustum (Lib. IV et V).

De Spiritu Sancto ad Gratianum Augustum.

SERIES VI.

» I. — Aurelii Augustini, Confessiones (Pars I et II - Volumina duo).

SERIES VII.

» I. — Sancti Gregorii M., Epistolae Selectae (Pars I et II - Volumina duo).

Libraria Pontificia Friderici Pustet, morem gerens pluribus viris auctoritate gra-
 vibus, suam fecit periodicam hanc collectionem ex Societatis Editricis dissolutione
 aliquot abhinc annis intermissam. Iamque singulare doctorum virorum collegium con-
 stituit, ut proximo scholarum anno ineunte publicatio resumi possit, eaque usque ad
 finem, nulla interposita mora, perducatur. In primo volumine opus S. Irenaei *Adversus*
Haereses absolvetur, curante insigni doctore Mannucci. Deinceps antecessio fiet
 operibus nondum editis aut incompte vulgatis ex Patrologia clarissimi Migne.

Ann. I.

Romae, Idibus Iuliis MCMXIV

Fasc. III.

ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12
 (doll. 2. 40; march. 10; rubl. 4 $\frac{1}{2}$; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite
 mittendum ad JOSEPHUM FORNARI doctorem, *Romam, Via del Governo Vecchio, 96.* ~ ~

SPES AFFULGENTES

ex recentibus Europae fatis

Quae bella gesta sunt superiore anno
 per Macedoniae fines et per Graecorum
 oras terra marique asperrima, quaeque
 illarum regionum incolis novam fortu-
 nam compararunt, unum idemque —
 aut ego fallor — visa sunt maturare fa-
 tum, atque in eumdem semper conspirare
 triumphum Christiani nominis, quem
 Iesus selectae sibi sponsae promisit.

Nec sine perspicua Divini consilii si-
 gnificatione contigit, ipsa redeunte sae-
 culari memoria susceptae per Constan-
 tini edictum libertatis, barbarorum co-
 pias fere undique fuisse finibus pulsas,
 quos quarto ante saeculo et Christianae
 reipublicae et Romano imperio abri-
 puerant.

Quamvis autem fuerit Christianis pas-
 sim gentibus luctuosissimum, miserrima
 invidia tanti facinoris praemia non levi-
 ter esse imminuta, et fraterno denique
 bello ipsos victoriae campos esse pes-
 sime cruentatos, humanitati tamen no-
 strae credidimus non infaustum, tum
 veteris Graeciae fines esse maxime re-
 constitutos, tum Rumenorum reipublicae
 eas regiones esse additas, quae eius di-
 tionem gentis necopinato dilatarent.

Scimus equidem satis, quod Romana
 memoria decidet nunquam, utrumque
 populum mala superbia correptum, ab
 Ecclesiae communione descivisse, ne vi-
 deretur Romanae ditioni parere; sci-
 mus, atque nihil dolemus magis, pleros-
 que Graecos, Photio duce, oblitos iamdiu
 christiana imperii sui originem, atque
 in communem parentem diuturnam per-
 duellionem molitos. Quod enim obtinet
 artium ingenuarum laude atque huma-
 nae sapientiae, id maiorum suorum ope-
 ribus iure meritoque tribuere Graeco-
 rum gentem audimus; quae vero post
 proclamatum Athenis Christi Evange-
 lium a Paulo, accesserunt ipsi regna, ma-
 gnaque tropaea et gloria tum doctrinae
 tum sanctitatis, una tantum vi Christiani
 nominis parta sunt, atque una omnino
 Romani imperii auctoritate. Non enim
 alio titulo Byzantini Caesares regnabant,
 nisi Romano, neque alias Ecclesiam
 Athanasius, Basilius, Chrysostomus nisi
 Romanam profitebantur.

Cuius sane Ecclesiae recepta antiquitus
 gratia causa fuit princeps sacrae illius
 Graeciae seminis servandi et fovendi
 inter diuturnam servitutem, idque per
 impervias maxime monasteriorum soli-
 tudines et arces, quas fere nullum bar-
 barorum vestigium pressit. Ibi enim spes
 est diu enutrita recuperandae aliquando
 libertatis, atque clam tentati enses, quae